

sior verò sanguis oleosæ pinguedinis tanquam sulphuris nõ
expers sit, sit ut, quoties hæc invicem exactè permiscen-
tur, fermentât, & per minima uniuntur, spiritus quidè acres
austeri, & acidi membranas ac periostia infestè vellicēt, sul-
phur autem hostem suum averfatū, & accensum alta petat,
atq; in universum deferatur, donec deflagarit. At cum
impurius sit, quam in reliquis, neq; tam *φλογισόν*, tardius
etiam incenditur, obscurius ardet, & lentius absumitur,
quales effectus in operationibus Chymicis non sine jucun-
ditate advertimus.

DIFFERENTIÆ. Quartana differt cum *inter se*, tum
ab aliis sui generis *Febribus*. *Inter se*, *Ratione Materiae*, alia est
Exquisita, quam pura melancholia producit, alia *Spuria*,
ex pituita, & reliquis humoribus torrefactis nata, proq;
multiplici superassationis eorum varietate alia iterum est
mitior, alia violentior, Hinc *Ratione durationis* alia longior,
alia brevior; *Ratione generationis* alia primigenia, alia quæ
morbo & febres prægressas sequitur, quod accidit creber-
rimè, siquidem reliquiæ impuritatum crassarum non inte-
grè evacuatae facilè aduruntur, & atrabilariam naturam
adoleiscunt. *Ratione loci*, in quo hæret *μῑασμα*, alia in epate,
ejusq; ramis, alia in liene, alia in *Ventriculo*. In hoc enim
deprehensum est tam crassum & contumacem, ac atra bilis,
humorem colligi, & Quartanæ vultum, moresq; induere,
Deniq; *si diversis in locis* stabuletur, alia duplex, alia triplex
evadit. *Ab aliis Febribus* distingvi & internosci faciunt eam

SIGNA DIAGNOSTICA. **PERIODES** de quarto
in quartum recurrens, non ob minorem Melancholici in
hac febre, quam reliquorum humorum in aliis copiam,
Neq; etiam ob remotiorem à corde locum, sed ob supra di-
ctam ejus qualitatem, qua segnius patrescit & accenditur.
Quod autem **STATO DIE** hæc eveniant, alia insuper ratione
fieri putandum, & excludimus hîc primum *Pythagoricos* cum
suis numeris, nec enim quantitas per se principium actio-
num esse potest; *Astrologos* dein illos, qui omnia cælo
dedu-